



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 10. Papæ ad Cardinalem Julianum literæ de Synodo dissolvenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. X.

Sæcul. XV.
A.C.1432.*Papæ ad Cardinalem Julianum
literæ de Synodo dissolvenda.*

Hunc in finem Eugenius Archiepiscopum Tarentinum, & Colossensem Episcopum ad Julianum Cardinalem ablegat, qui eum vel ad dissolvendam vel suspendendam Synodum adhortarentur. Prætexebat Pontifex, quod unio Græcorum cum Latinis in Concilio Senensi inchoata, Basileæ perfici haud valeret Græcis absentibus, qui tamen ob ingentem loci distantiam nonnisi post longum temporis spatium eo perducere possent; Hæ erant rationes, quæ Pontifici ad Concilium vel dissolvendum, vel Bononiam in Italiam transferendum oppido graves videbantur, quibus subjunxit, sibi præterea dictam urbem magis commodam fore, ut & ipse Synodo interesse, eidemque præsidere posset. Cum vero Eugenius ipsam Ecclesiæ emendationem impedire præcipue moliretur, Patres firmitati Synodi consulturi, duo illa Decreta superius allegata innovarunt, decernentes, Papam nequaquam posse Concilium dissolvere, nec in alium locum transferre. Inde elucet, hæc duo decreta tempore Basileensis Synodi ejusdem fuisse auctoritatis,

B 3. atque

Sæcul. XV. atque valoris, ac erant tempore Schis-
 A C. 1432. maticis, quod Constantiensis Synodi con-
 vocationi occasionem dederat, eoquod
 Basileensis Synodus ea de novo confir-
 masset, & extincto jam schismate actis
 suis inseruisset. Itaque a vero abludit,
 quod duo ista Decreta, prout nonnulli ex-
 istimant, duntaxat ab obedientia Joannis
 XXIII. comprobata, & solum pro tempo-
 re schismatis, quando adhuc de legitimo
 capite dubium erat, vim obtinuerint;
 Eugenius enim tunc a tota Ecclesia ve-
 lut verus Pontifex colebatur (*).

§. XI.

*Epistola I. Cardinalis Juliani ad
 Eugenium.*

Nihilominus Cardinalis Julianus cur-
 cta ista a Patribus provide disposita,
 necdum sufficere arbitrabatur, hinc id
 mune-

(*) Si Schisma extinctum, si Eugenius Pa-
 pa ab universa Ecclesia velut verus, & unicus
 habebatur Pontifex, qua ratione Continuator
 Libro CX. §. I. II. & IV. necnon in Præfatione
 ad tomum XXV. illud nonnisi anno 1449. fuis-
 se extinctum, ac annos omnino quinquaginta
 tenuisse refert, haud videmus; nisi illud a Ba-
 sileensibus Patribus per iniquam Eugenii veri
 Pontificis depositionem resuscitatum confite-
 ri velit.